



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

VIII. Erzbischof Sbinke von Prag beauftragt mehrere Aebte und den Probst von Sanct Marien zu Stettin mit der Ausführung einer päpstlichen Bulle Jnnocenz VII. über die Herstellung der dem ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55508)

possint reddere conscientias saluatori, dum conuertimus intuitum mentis nostre, Prefertim tamen ad honorandos deo deuotos viros fratres ordinis Carthusiensis, quorum intemerata religionis conuersatio hactenus dei prospicia clemencia integerrima semper nituit veritate et continuis largiente altissimo augetur incrementis, cogimur speciali consideratione sincerum animi gerere respectum, quorum piis meritis vt apud altissimi conspectum possimus adiuuari. Sane sub premissorum consideratione condicionem Religiosorum fratrum Ordinis Carthusiensis prope frankenford, lubucensis dyocesis, ex zelo deuotionis, quo in eorum comodum sub nostro regimine accendimur, meliorem sub spe retributionis eterne facere cupientes, villam Nider yezer cum singulis eius pertinenciis legitimis, in fundo nostri Marchionatus Brandenburgensis sitam, quam olim hanko et fridericus belko cum fratribus, Ciues nostri frankenfurdenfes, a nobis in feodum tenuerunt, Ipsi fratribus et eorum Monasterio de certa scientia et munificentia speciali dedimus, donauimus, incorporauimus, annexuimus, inuiscerauimus et adiunximus ac presentibus in dei nomine per eos habendam, tenendam temporibus perpetuis et possidendam annectimus, incorporamus, damus, donamus, adiungimus et inuisceramus, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum. Datum Brunne, feria Quarta ante dominicam Oculi, anno domini Millesimo quadringentesimo Quinto.

Nach dem Copialbuche des Karthäuser-Klosters, No. 17a. Axungiae Hist., p. 24.

VIII. Erzbischof Sbinco von Prag beauftragt mehrere Aebte und den Probst von Sanct Marien zu Stettin mit der Ausführung einer päpstlichen Bulle Innocenz VII. über die Herstellung der dem Karthäuser-Kloster entzogenen Güter und Gerechtigkeiten, am 11. Mai 1405.

Sbinco, dei gratia sancti pragensis ecclesie archiepiscopus, apostolice sedis legatus, Iudex et conseruator Iurium et priuilegiorum Bonorum ac libertatum — fratrum — Carthusiensis ordinis in diuersis mundi partibus consistenciam ac membrorum eiusdem ordinis, Vnacum Reuerendo in christo patre domino Episcopo misnensis ac venerabili domino decano ecclesie sancti petri Wissegradensis prope pragam, nostris in hac parte collegis, cum hac clausula, quatinus vos uel duo aut vnus vestrum per uos uel alium seu alios etc. A sede apostolica dudum deputatus, Venerabilibus in christo patribus et dominis in Noua cella Misnensis, in sagano, Wratislawiensis dyocesis Monasteriorum abbatibus et preposito ecclesie beate marie virginis in Stetin, Caminensis dyocesis, Omnibus in solidum communiter uel diuim Salutem in domino et mandatis nostris, ymmo uerius apostolicis firmiter obedire. Litteras apostolicas felicitis recordationis et domini, domini Innocentii pape VI more Romane Curie bullatas, saluas, sanas et integras, Non uiciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, Sed omni prorsus uicio et suspitione carentis nobis pro parte venerabilium et Religiosorum uirorum priorum et Conuentus monasterii sancti domus misericordie dei prope Frankenford, Coram notario publico et testibus fidedignis presentatas, Nos cum ea qua decuit reuerencia recepisse uoueritis huiusmodi sub tenore:

Innocentius, episcopus, seruus seruorum dei, Venerabilibus fratribus archiepiscopo pragensi et episcopo misnensi ac dilecto filio decano ecclesie Wissegradensi prope pragam,

Salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie licet inmeriti disponente domino presidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum curemus dispendiis et profectibus diuino cooperante clemencia salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum, sororum et Conuentus maioris domus Carthusiensis Gracionopolitanensis dyocesis Aliorumque priorum ac fratrum et Conuerforum Carthusiensis ordinis in diuersis mundi partibus consistentium conuestione percepimus, Quod nonnulli venerabiles fratres nostri patriarche, archiepiscopi, Episcopi Ceterique ecclesiarum prelati ac clerici et ecclesiastice persone, tam Religiose quam etiam seculares, Necnon duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, milites et Communia Ciuitatum, vniuersitates ac alie singulares persone Occuparunt seu occupari fecerunt ecclesias, villas, opida, Colonos et seruos, animalia, decimas, Nemora, prata, pascua, piscarias, Venationes, ortus, Pomeria, Molendina, Terras, domos, Vineas, possessiones, iura, redditus et proventus ipforum, Et alia bona mobilia et ymmobilia ad priores, fratres et ordinem predictos spectantia et ea detinet indebite occupata; Nonnulli eciam ciuitatum et parcium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, Prioribus et fratribus supradictis super ecclesiis, villis, opidis, colonis et seruis, animalibus, decimis, nemoribus, pratis, pascuis, piscariis, venationibus, ortis, pomeriis, molendinis, locis, terris, domibus, vineis, possessionibus, iuribus, redditibus et prouentibus eorundem, Et quibuscunque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad priores et fratres predictos spectantibus Multiplices molestias et Inurias inferunt ac iacturas. Quare dicti priores et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile, pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere eis super hac paterna diligentia curaremus. Nos igitur aduersus occupatores, presumptores, molestatores et Inuriatores huiusmodi Illo volentes eis remedio subvenire, per quod illorum compefcatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut vnus vestrum per vos vel alium seu alios etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conseruatores et Iudices, prefatis prioribus et fratribus efficacia defensionis presidio assistentes, Non permittatis, eisdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et Iuribus ad dictos priores et fratres spectantibus, ab eisdem uel quibuscunque aliis indebite molestari uel eis grauamina seu dampna uel iniurias irrogari, effecturi dictis prioribus et fratribus, cum ab eis seu vicariis aut procuratoribus suis uel eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuscunque super restitutionem ecclesiarum, villarum, oppidorum, colonorum et seruorum, animalium, decimarum, Nemorum, pratorum, pascuorum, piscariarum, venationum, ortorum, pomeriorum, molendinorum, locorum, terrarum, domorum, vinearum, possessionum et Iurum, reddituum et proventuum ac bonorum mobilium et ymmobilium et aliorum quorumcunque bonorum, Necnon de quibuscunque molestiis, iniuriis et aut dampnis presentibus et futuris, In illis videlicet que iudiciale requirunt indaginem simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, In aliis vero prout qualitas ipforum exegerit, iusticie complementum, Occupatores seu detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis uel conditionis extiterint, Quandocunque vel quotienscunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compefcendo, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII predecessoris nostri in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem uel dyocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra vnam dietam a fine sue dyocesis ad iudicium euocetur, Seu ne iudices et conseruatores a sede deputati predicta extra ciuitatem et dyocesim, in quibus deputati fuerint, Contra quoscunque pro-

cedere seu alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra vnam dietam a fine dyoecesis eorundem trahere presumant, Sev quod de hiis quam de manifestis iniuriis et violentiis et aliis, que iudiciale indagine exigunt, penis in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis Conservatores se nullatenus intromittant, Et tum de duabus dietis in Concilio generali dominico ultra duas vel tres dietas aliquis extra suam ciuitatem et dyoecsin non trahatur, quam aliis quibuscunque constitutionibus, a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de Iudicibus delegatis et Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum et iudicium non vocandis aut aliis edictis, que nostre possent in hac parte Jurisdictioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare; Seu si aliquibus communiter uel diuim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi uel interdici seu extra vel ultra certa loca ad iudicium euocari non possint, per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis et locis, ordinibus ac nominibus propriis mentionem, et qualibet alia indulgentia dicte sedis generali uel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam uel non totaliter insertam Vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, Et de qua eiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a dato presentium sit vobis et vnicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetua potestas et iurisdicatio attributa, Vt eo vigore eaque potestate possitis in premissis omnibus ceptis et nonceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et Jurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem uel modum alium perpetuata legitimum extitisset, Constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum auinion, II. Non. februarii, pontificatus nostri anno quarto.

Post quarum quidem litterarum apostolicarum presentationem et receptionem fuimus pro parte predictorum dominorum priorum et Conuentus domus Misericordie dei prope Frankford, ordinis Carthusiensis, cum debita instantia requisiti, Quatinus ad executionem earundem litterarum et contentorum in eisdem procedere et contra et aduersus nonnullos occupatores, presumptores, molestatores, inuadores et iniuriatores bonorum eorundem et membrorum eisdem fratribus dicti Monasterii de remedio oportuno prouidere dignaremur, juxta continentiam et tenorem earundem litterarum apostolicarum. Nos vero diuersis nostris et ecclesie nostre pragenfis antedicte pluribus negotiis occupati ipsisque personaliter ad presens intendere non volentes, de legalitate et circumspectione vestra in hiis et in aliis plurimum presumentes, vobis dominis abbatibus et preposito superius nominatis, auctoritate apostolica tenore presentium plenarie committimus vices nostras, Cum clausula donec easdem duxerimus ad nos revocandas, Mandantes vobis dominis supradictis et cuiilibet vestrum, qui presentibus fueritis requisiti seu alter vestrum fuerit requisitus, Quatinus vos uel duo aut vnus vestrum predictis dominis priori et conuentui ac fratribus efficacis defensionis presidio assistentes, Non permittatis eos contra tenorem priuilegiorum ipsorum a quibuscunque molestari aut eis aliqua grauamina uel iniurias irrogari, facientes ipsis fratribus de illatis iniuriis, molestationibus et grauaminibus contra tenorem eundem In illis videlicet, que iudiciale requirunt indagine, per viam iudicii, In aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio, timore uel fauore subtraxerint, auctoritate nostra ymmo verius apostolica, qua vos in hac parte fungi volumus, ad perhibendum testimonium veritatis compellatis ecclesiasticam per censuram.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes litteras fieri et per Nicolaum de Lompnitz notarium publicum infra scriptum subscribi et publicari mandamus Nostrorumque sigillorum appensione iussimus communiri. Datum et actum prage in curia Archiepiscopali in magno estuario, Sub anno domini M^o. CCCC^o. V^o. Indictione tredecima, die vero XI mensis maii etc. . . . Presentibus ibidem reverendo patre domino Jaroslao Episcopo Sareptensi ac venerabilibus viris dominis Magistro de demerzelitz, decretorum doctore, archidiacono Gradicensis, in ecclesia prageni vicario in spiritualibus, et dominico de Budwayss, Notario publico prageni dyocesis, Testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Nicolaus quondam henlim de Lompnitz, clericus prageni dyocesis, auctoritate imperiali publicus notarius, prescriptorum litterarum apostolicarum presentationi, requisitioni, petitioni, commissioni omnibusque aliis et singulis supra scriptis, Dum hic ut premititur per presatum dominum Sbinconem archiepiscopum pragensem et coram eo fierent et agerentur, vna cum pre nominatis testibus presens interfui Eaque sic fieri, vidi et audiui, Aliis arduis negotiis occupatus per alium notarium fideliter scribi procuravi, Hic mea manu propria subscribens publicavi et in hanc publicam formam redegi Signoque et nomine meis solitis et consuets Vna cum appensione Sigillorum ipsius domini archiepiscopi et de mandato ipsius speciali consignari rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Aus dem Copialbuche des Karthäuser-Klosters, No. 49.

IX. Der Prior von Mariengarten bei Prag, Bruder Hermann, und der Mönch Gilbert daselbst, imgleichen der Prior des Karthäuser-Ordens, erlassen bei der vorgenommenen Visitation des Karthauses bei Frankfurt nähere Bestimmungen über die Clausur der Mönche, am 28. Aug. 1406 und 8. Juli 1407.

Nos fratres hermannus, Prior domus orti beate marie prope pragam, Et Gilbertus, monachus professor domus eiusdem ordinis Carthusiensis, auctoritate capituli generalis et Reuerendi in christo patris domini Steffani, prioris carthosie domum misericordie dei prope frankenford ordinis nostri supradicti personaliter visitantes, Inter cetera, que ibidem reformanda, corrigenda, ordinanda et emendanda videbantur esse, necessaria repperimus domum eandem nondum iuxta ordinis nostri statuta et consuetudinem habere terminos pro possessionibus possidendis pro monachis et procuratore domus eiusdem. Habito igitur consilio cum priore domus et omnibus de conuentu, consideratis etiam circumstantiis, condicionibus, locis possessionum et situatione eiusdem domus, Insuper pensata ipsius domus necessaria vtilitate et vili necessitate, que omnia quodammodo quandam imponunt necessitatem, pensata nichilominus nostri ordinis honestate, propter que omnia non convenit nec expedit nimis largos habere terminos, sed nec nimis breves et eciam eos frequenter exire; Infra scriptos terminos pro possessionibus possidendis pro monachis et procuratore auctoritate dei et ordinis duximus assignandos. In primis ut per girum et circuitum monasterii sui vndique ad vnam dietam teneant possessiones habitas et habendas. Item censum istum,